

sua sua natura nonnunquã intestina perforavit, vt ex anatomia visum est. Si tamẽ in stomacho manserit inexpulsum, oress & arsuræ, nec non aliæ plurimæ stomachi passiones exoriuntur in orificio. Euenit etiam aliquando, vt sal indigestum in venis mesaraicis constipetur & coaguletur in granula, vnde grauissimæ procedunt egritudines incognitæ, nedum in his, verum etiam in alijs totius corporis partibus, & præsertim illis circa quas vrina suum habet emunctorium. De salium speciebus, vitijs, & virtutibus dictum sit hætenus; iam ad aliud minerale magis veniendum est sal, quod vitriolum nominatur, præ cunctis alijs omnibus cùm in Alchimia, tum in Medicina præstantissimum.

De vitriolo. CAP. XIII.

NATURA producit è terræ visceribus genus quoddam salis, quod vitriolum nuncupatur, tantarum virium atq; virtutum, vt vix vnquam satis à quoquam describi valeant. In isto siquidem perfectæ curæ consistunt ictericiæ, arenæ, calculi, febri-